



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 38. Francisci Xaverii progressus Apostolici in Indiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

rem eligi mereretur, ab eo tamen officio hucusque duntaxat ea ex causa exclusus fuisset, quod insolitam propugnasset sententiam de Canticis Canticorum, & de descensu Christi ad inferos. Castallio hoc Calvinii testimonio fretus Basileam contendit, ibidemque perbenigne exceptus vix non eodem momento linguam Græcam tradere iussus est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1544.

§. XXXVIII.

*Francisci Xaverii progressus Apostolici in Indiis.*

Cum interea tumultus, quibus Europa ob Religionis diffidia agitabatur, plurimum auferentur, orthodoxa fides in Indiis nova in dies cepit incrementa, Principibus ac populis Christianæ Ecclesiæ sese aggregantibus; postquam enim Franciscus Xaverius plus quam integrum annum in ora Piscariæ eo fine absumperat, ut *Paravas* seu margaritarum Piscatores ad Christi fidem adduceret, tandem exeunte anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Goam reverti statuit, ut ex ea urbe ambos laboris sui socios unacum aliis Viris Apostolicis secum abduceret, quo etiam se contulit, comitantibus eum quibusdam adolescentibus natione Indiis, qui in præfatæ urbis Seminario Christianæ fidei mysteriis imbu-

*Maffee hist. Ind. l. 12.*  
*Orl. hist. Soc. l. 4.*  
*Tursel. in vita Francisc. Xav. l. 2. c. 15*

Sæcul. XVI. buerentur, ac progressu temporis in e-  
A.C. 1544 gregios Evangelicæ veritatis Præco-  
 nes evaderent. Rebus ita dispositis  
 anno supra millesimum quingentesimo  
 quadragesimo quarto Xaverius ad *Para-*  
*vas* rediit, sequentibus eum pluribus Vi-  
 ris Apostolicis tam Europæis, quam In-  
 dis, eorum tamen nonnullos in præci-  
 puis pagis eo fine reliquit, ut anima-  
 rum saluti tanquam Pastores invigila-  
 rent, puerosque Christianæ doctrinæ  
 rudimentis imbuerent; ipse vero ad  
 Travancoridis Regnum, quod in Goæ  
 Peninsula situm ad occasum Solis ver-  
 git, cum reliquis Sociis suis profe-  
 ctus est, ibidemque haud minus copio-  
 sam, quam antea in ora Piscariæ, Apo-  
 stolici laboris messem collegit; quippe  
 intra unius mensis spatium decem mil-  
 lia Idololatrarum baptismo expiaverat;  
 cum ergo quandoque in una die simul  
 omnes unius Pagi incolæ sacro fonte  
 tingi peterent, quadraginta quinque Ec-  
 clesiæ seu Sacella sub primis abjuratæ  
 superstitionis auspiciis erigenda erant,  
 hancque in rem S. Xaverius, qui ipse  
 singulares hosce Evangelii fructus enar-  
 rat, hæc addidit: „ Non aliud gratius,  
 „jucundiusve spectaculum erat, quam  
 „cernere idola, eorumque fana ab his-  
 „ce infidelibus ad Christi fidem conver-  
 „sis certatim eorundem pedibus con-  
 „cul-

„culcari, atque destrui, id etiam per Sæcul. XVI  
 „mittente hujus regionis Regulo, qui A.C. 1544.  
 „Lusitanis foedere junctus erat.

## §. XXXIX.

*Travancoridis Rex Evangelii præ-  
 dicationi favens.*

Equidem ipse Travancoridis Rex E-  
 vangelicæ prædicationi favebat,  
 præcipue tamen ipsius studium accen-  
 derat successus omni exspectatione ma-  
 jor, quo Xaverius ipsos etiam debellabat  
 Badagas, gentem totius hujus regionis  
 longe crudelissimam, nam hi vitam per  
 latrocinia ac rapinas ducere assueti cum  
 ingenti suorum exercitu paulo ante Pi-  
 scariam populabundi invaserant, nunc  
 vero ipsum etiam Travancoridis Re-  
 gnum devastaturi irruperunt: mox ve-  
 ro Xaverius sola Christi crucifixi imagi-  
 ne armatus exiguum Christianorum ag-  
 men colligit, atque ad primos usque ho-  
 stium ordines provolans, vocis suæ ve-  
 hementia, nec non summa animi, vul-  
 tusque constantia Barbaros hosce tan-  
 to terrore replevit, ut primæ hostium  
 phalanges novo audaciæ miraculo ob-  
 stupefactæ ceteras a tergo plurimas,  
 confertasque protererent, atque una om-  
 nes nullo servato ordine fugam arripe-  
 re compellerentur. Reportata hac vi-  
 ctoria Xaverius eo tempore, quo in Tra-  
 van-